



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De  
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex  
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agr., 1599**

**VD16 ZV 2606**

Meditatio 39. De vestium Christi diuisione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)





# MEDITATIO TRIGESIMANONA.

DE VESTIVM CHRISTI  
*diuisione.*

EVANGELIVM.

*Ioan. 19.*

*Luc. 23.*

*Matt. 27.*



MILITES cū cruci-  
fixissent Iesum acce-  
perunt vestimenta e-  
ius, & fecerunt 4. par-  
tes, vnicuique militi  
partem, & tunicam. Erat autem tu-  
nica inconsutilis desuper contexta  
per totum. Dixerunt ergo ad inui-  
cem: Non scindamus eam sed for-  
tiamur de illa, cuius sit. Et Milites  
quidem hæc fecerunt.

FIGVRA.

*Gen. 37.*

FRATRES Iosephi interfecti, at-  
que in ciste. nam demissi vestem  
sanguine tinctam Patri miserunt.

PRO-



## PROPHEZIA.

**DIVISERVNT** *sibi vestimenta Psal. 23.*  
*mea, & super vestē meam miserunt*  
*sortem.*

## CONSIDERATIONES.

**CONSIDERA** Saluatoris libera- *1. Punctū.*  
 litatem, qui in ipsa cruce quamvis  
 lassus & fractus doloribus mortis: ta-  
 men obliuisci non potest esse beneficus.  
 Cum se totum, vitam & sanguinem, sa-  
 luti mundi condonasset, ne quid resta-  
 ret quod in beneficium peccatorum nō  
 cessisset, vocavit lictores in partem ve-  
 stium suarum. Rursum vide vt impro-  
 bi illi carnifices tanto indigni beneficio,  
 accipiunt quasi per iocum pauperes ve-  
 stes, atque ante oculos ipsius Christi, vt  
 crescat contemptus, dilacerant, mittunt  
 super eas sortem, in Christi paupertate-  
 tem ioca iacentes. Cogita Christi do-  
 lorem, cū videret quanto contemptu  
 tractarent & irriderent vestimenta sua:  
 Item matris ipsius, cū videret sortem  
 mitti, & prædam fieri vilissimorum car-  
 nificum vestem, quam cum tanto amo-  
 re & deuotione suis ipsa confecerat ma-  
 nibus, neque facere potuit, quin ad Fi-  
 lium lacrymosos oculos vertens diceret:

O S

Heu,



Heu, cor meum, nihilne dabis Matrituæ, quæ suis te vberibus educauit, quando carnificibus, qui te crucifigunt, vestimenta tua dispertiris?

In supplicijs reorum non solent morte damnati spoliari vestibus, nisi insigniter sceleratus & infamis homo sit, quod hic Christo factum est, cui tanquam eximie scelerato & infami vestes ablatae, ipse nudus relictus est. De latronibus nihil huiusmodi legitur, neque vestibus exutos, neque irrisos, ut Christus, quem solum tot modis, plus quam alium quemquam vexarunt, & contemptui habuerunt. O compassio! O crudelitas, cui nulla similis audita est, ad pedem crucis, spectante Christo, sub oculis matris, stant crudeles lictores, postquam lacerassent corpus Filij, etiam vestes per ludibrium lacerantes: quodq; maiori dignum misericordia, vna cum filij vestibus, non in quatuor, sed plus quam mille partes, cor amantissimæ Matris diuelunt ac distrahunt.

Considera hic insignem Christi humilitatem, & vide in quorū manus traditus sit Rex gloriæ Dominus Maiestatis: in manus hominū nouissimorum, qui tam essent inopes & contempti, ut vestes Christi, quanquam exigui precij, tanta



tanta inter se cura diuiderent. Quousq; se dimisit altitudo cæli? ô ineffabilis patientia Saluatoris; qui ista coram se fieri videns, tulit patientissimè, neque mirum, cum ipse esset Agnus ille mansuetissimus & innocens, qui se pro peccatis mundi offerens, non solum non aperuit os suum, contra crudelissimos tonsores illos suos; verum etiam benignè vestiuit, & texit illos lana sua.

Voluit Dominus vestimenta in quatuor partes diuidi, vt ostenderet fidem suam, in quatuor orbis plagas vbique propagandam. Sic enim omnes populi, per fidem Christi participes facti passionis eius, ipso Christo induendi erant, quemadmodum Sole vestitur & ornatur vniuersus orbis. At inconsutilem Tunicam, quæ figura esset Ecclesiæ, noluit diuidi, vt significaret vnitatem eiusdem Ecclesiæ, quæ per omnes mundi plagas, in omnibus nationibus & populis, vna & indiuisa futura esset, sicut est vna fides, vnum baptisma, vnus Deus ab omnibus adorandus. Voluisti etiam, dulcis Iesu, quemadmodum vestis diuisa est, ita quatuor facere partes amoris. Primam tribuisti Angelis: quorū instaurasti ruinas. Alteram hominibus, quos tuo sanguine redemisti. Tertiam inimi-



cis, pro quibus apud Patrem deprecatus es, excusans peccatū eorum. Postremam ijs qui te crucifixerunt, quos vestibus tuis induisti.

## COLLOQVIVM.

**R**OGA Christum D.N. per illum amorem, quo voluit sanctas vestes suas diuidi inter crudeles carnifices, qui cruci illum affixerant, vt gratiam tibi concedat, quoniam & tu per peccata & offensiones contra ipsum, etiam vnus es ex crucifixoribus, vt etiam particeps fias preciosæ vestis incomparabilis suæ caritatis, vt hanc tuam nuditatem operiens, & peccatorum tuorum turpitudinem, in morte securus ipsi apparere possis, neq; à cælestibus nuptijs excludaris.

## DOCUMENTA.

1. **P**ARATI esse debemus, vt bene faciamus ijs, qui nos iniurijs aut damno afficiunt: vt Christus suos crucifixores remuneratus est, vestiu diuisione.
2. Si vestes Christi, inter homines infimos diuisa sunt, cur nos volumus omnia nostra, ab omnibus magni fieri, & in admiratione haberi.
3. Vestes Christi diuidimus, cum inter nos non satis conuenimus, aut cum alijs discor-



*discordia aut discensionis occasionem praebemus.*

4. *Conseruanda est integra vestis amoris in Deum; non alijs rebus amandis diuidenda: ut neque Christus tunicam voluit diuidi.*

5. *Non magnopere commoueri debemus, si propter amorem Christi mundus lace- ret vestes exteriores seu fama seu bono- rum; modo interiorem vestem virtutis & innocentia integram conseruemus.*

6. *Religiosus per votum obedientia cum Christo pendet in cruce abnegationis sui: per votu paupertatis exiit se & diuidit vestes temporalium bonorum: per votum castitatis, vestem interiorem iustitia, qua intus anima vestitur, integram seruat.*

7. *Si qui vestes Christi inter se diuiserunt, erant milites, ut intelligamus, Dominum passionis & mortis suae pramia, non diui- dere inter delicatos, sed inter milites, id est, eos qui strenue contra vitia & semetipsos pugnant.*

ME-